

Antiocheno; ex adverso autem unus canon Ecclesiasticus reclamaret: Definitum, inquam, non calculis tantum universæ œcumenicæ Synodi, sed etiam ipsorum Imperatoris magistratum, Judicum cognitorum, quibus omnibus & religiosissimus Imperator Marcianus Augustus haud invitus subscripserit: dignum plane factum, quod imitari debeant omnes Christiani Principes, sequi etiam ipsorum Judices: nimirum, ut cum causam in iudicio agi contingat, cui altera ex parte faveant sæculi leges, repugnet vero ex altera canon Ecclesiasticus: quid tunc iuste, pie, sancteque decernant, tantum extet de tanto iudicio, non unius, sed plurium Judicum præclarum quod sedentur exemplum. Habent & sacræ religionis Antistes, non unius tantum vel alterius; sed plurium Episcoporum, immo Synodi, ejusdemque œcumenici, & sexcentorum & amplius sanctorum Patrum, egregium factum, quod imitentur; nimirum non turpiter adulatione molliri, frangique potentia Imperatorum, sed adversus ipsorum leges pro defensione sacrorum canonum accerrimos insurgere, vindices, & indefesso studio pro sacris legibus inire certamen. Sed prosequamur quæ reliqua sunt ejusdem Actionis.

CIII. Restitutis ex sententia totius œcumenicæ Synodi Episcopis in diversis civitatibus a Photio ordinatis, reductis vero in ordinem presbyterorum ab Eustathio promotis, improbatoque per Apostolicæ sedis legatos & alios usu illo, ut qui ab

Episcopatu deponerentur, sinerentur presbyteri ministrare: mox ejusmodi ad Judices & ad S. Synodum facta est suggestio a Cecropio Episcopo Sebastopolis: Ne potestas vestra accusationem & querimonias a quocumque persona accipiat & fatigetur, neve nos conteramur; petimus ut sine contradictione cessent ea pragmatica, quæ in detrimentum canonum a quibusdam facta sunt in omni provincia: Canones vero per omnia teneant: sic enim & fides custoditur, & unaquæque Ecclesia tutum statum habeat: Ac nec liceat præter canones ordinare. Magnificentissimi & gloriosissimi Judices dixerunt: Si tota sanctissima Synodus consentit petitioni Cecropii reverendissimi Episcopi, doceat. Sancta Synodus acclamavit: Omnes eadem dicimus: Unversa pragmatica cessabunt: Canones teneant, & hoc a vobis fiat. Magnificentissimi & gloriosissimi Judices dixerunt: Ex sententia sanctæ Synodi, in aliis quoque omnibus provinciis regulæ teneant. His stabilitis, secuta est ex more facta totius Synodi acclamatio. Jusseruntque Judices, ut quæ definita essent, effectui mandarentur. Sicque præsens Actio ex optato felicem finem accepit. Jam reliquis certis quibusque diebus habitas Actiones percurramus.

Rursum vero convenientes Patres sextam habuere Sessionem undecimo Kalendas Novembris, in qua per diaconum Constantinopolitanæ Ecclesiæ recitata est fidei Catholicæ definitio; quæ tamen ut minus perfecta explota est in primis ab Apo-

Definitio ut pragmatica ubique cedant Canonibus.

CIV. Sexta sessio.

PAGIUS A num. CIV. ad CXII. XI. Kalendas Novembris habita est Actio sexta Chalcedonenis Concilii secundum Baronium, quinta vero hæc dicitur in editionibus hodiernis Conciliarum; & revera quinta est juxta Antiquam versionem. In ea gravis exorta est contentio inter Episcopos, quo pacto conscribenda foret definitio fidei, quibusve verbis constare deberet. Cum enim formula quadam lecta fuisset, nonnulli Episcopi eam mancam & mutilam esse contenderunt, illis Legati Apostolicæ Sedis se se adjungere, postulantes, ut in Definitione accepta Leonis Epistolæ ad Flavianum mentio fieret, & quæ inerant ei verba, quasi pressius hæresim jugulantia infererentur. Hic vero intercessit multitudo major Synodi, Definitionem mutari non debere, subscribendam esse sine mora, qui nollet subscribere hæreticum esse. Quantum vero ad Epistolam Leonis, cuncti acclamantur se eam recipere, se jam ei subscripserunt; at inferi verba Epistolæ in Definitione non esse necesse, formula confirmari Epistolam Leonis. Uno verbo aliam Definitionem fieri non debere. Nempe metuebant Episcopi, ne in ea aliquorum nova postulatione lateret dolus, quo sub prætextu amplificandæ formulæ incerta fortasse aliqua, vel dubia locutione vigor Definitionis factæ debilitaretur. Id colligitur ex istis acclamationibus: Fides fraudem ne patitur. Contra fidem fraus non fiat. Tolle fraudem a Definitione. Ergo cum ea de causa duas in partes Synodus scissa fuisset, & clamoribus ac tu-

multa omnia replerentur; Gloriosissimi Judices divisionem animorum retulerunt ad Imperatorem, qui voluit, ut ex singulis diocesisbus seligerentur Episcopi, qui novam Definitionem cuderent, & referrent deinde ad Synodum, vel quisque per suam Metropolitanam fidem propriam manifeste exponeret; secus celebrandum fore aliud Concilium generale in Occidente. Nova igitur & amplior exarata est formula; in qua etiam satisfactum est Legatorum petitioni; lecta in Synodo, cum omnem dolum abuisse tandem constitisset, unanimi omnium consensu laudata est ac suscepta.

Baronius num. CIV. totam hujus contentio- XXXIII. nis invidiam in Anatolium Patriarcham Constantinopolitanum trahit, quasi callide unus auditor fuerit hujus formulæ debilis, Archiepiscopus, quod se se ut loquitur Baronius, decipula, qua simpliciores sinecere non decipi possent, Dioscori sui non oblitus. Hoc vergeressit. ro intelligit ex interlocutione ista: contententibus Episcopis subjecerant Judices: Dioscorus dicebat, propter hoc se damnasse Flavianum, qui duas naturas esse aiebat, Definitio autem ex duabus habet naturis. Respondit Anatolius: Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Archiepiscopo Leoni, & tertio vocatus est, & non venit & ideo damnatus est. Quæ verba gravissime reprehendit Baronius, quasi eam temere sententiam effutierit dolo malo, & propensior in dogma Dioscori, Verum si quis sibi persuadeat, inquit Andreas Chevillerus V. C. Dissert. in Synodum Chalcedonen-

Contentio de fidei formula condenda.

Anatolius accusatur quod se se ut loquitur Baronius, decipula, qua simpliciores sinecere non decipi possent, Dioscori sui non oblitus. Hoc vergeressit.